RECTOR

ACADEMIAE LIPSIENSIS

SACRA PENTECOSTALIA

A. D. XII. M. MAII A. R. S. CIↄIↄCCXCIX

IN

AEDE ACADEMICA

PIE ET RELIGIOSE

CELEBRANDA

INDICIT

SPICILEGIVM XXVIII.

Autographorum, illuſtrantium rationem, quae interceſſit Eraſmo Roterodamo cum aulis et hominibus aeui ſui praecipuis omnique republica.

GERMANI BRIXII,

Archidiaconi Albienſis, Reginae Galliae à Secretis, tandem Canonici Pariſienſis, Epiſtolae tres, AA. 1527. et 1530. ad Eraſmum datae, ex Autogr.

De hoc viro vid. *Eraſmi* Operum Tomus III. Lugd. Bat. 1703. fol. Conradi *Geſneri* bibliotheca, Pauli *Iouii* elogia doctorum virorum, *Scaeuolae Sammarthani* elogia Gallorum Seculo XVI. doctrina illuſtrium, etc.

GERMANVS BRIXIVS, *(Germain de Brie,)* honeſto loco natus *Antiſſiodori* Galliae, (Galli *Auxerre* vocant,) in Poëſi lauream meruit, et inter eos refertur, qui primi ex Italia litteras elegantiores in Galliam transtulerunt. De ſua in *Italia* commoratione loquitur ipſe, in epiſtola ad Eraſmum ſcripta Pariſiis 6 Aprilis A. 1516. T. III. Opp. Er. p. 192. ep. 212. Conferantur ea, quae dicit de ſe *Romae* verſante, in epiſtola ad Eraſmum anno 1530. data, et nunc ex Autogr. edenda. In Graecis praeceptore vſus eſt *Marco Muſuro*, Cretenſi [1]), quem

aliquot

1) *Marcus Muſurus*, Rethymnae (*Retymo* vocant) in *Creta* ſeu *Candia* inſula natus, fuit Archiepiſcopus Graecus *Maluaſiae* in Peloponneſo, (hodie *Morea*.) Exſul propter Turcas, ab anno 1453. *Patauii* (h. *Padua*)

aliquot annos *Pataulii* docentem audiuit. Et praeeunte *Iano Lascare*, viro Graeco [2]), quem hospitio frequens excipiebat, Graecos Poëtas omnes diligentissime perlegit.

Guil. Budaeus, in epistola ad Erasmum data Parisiis, Ramaliorum die A. 1516. (T. III. Opp. Er. in Append. p. 1557. ep. 60.) scribit: „*Germanus Brixius, Archidiaconus Albiensis* [3]), „*tuus olim discipulus*, tibi plurimum fauet. Nunc est *Reginae a* „*Secretis* [4]). — *Doctus est vtraque lingua.*" Testatur etiam Thomas Morus, in epistola 555. Londino A. 1520. ad Erasmum data, p. 614. *Reginae Galliae à Secretis* fuisse Brixium. Fuit tandem *Canonicus Parisiensis*, testibus Gesnero aliisque.

Inter *Sadoleti* epistolas exstant nonnullae ad *Brixium* datae. Ipse multa Ioannis Chrysostomi scripta latine vertit. Leguntur et graeci aliquot versus eius. Cum *Thoma Moro* habuit controuersiam, librumque suum *Antimorum* inscripsit.

De hoc libro notentur verba *Erasmi*, in epistola 503. ad ipsum *Thomam Morum* data Antuerp. 26. Aprilis A. 1520. p. 547. „Sperabam, meas litteras aliquid ponderis habituras „fuisse apud *Brixium*. Sed ecce prodiit ac prostat hic *Anti*„*morus* eius, qui liber, vellem auctoris ipsius caussa, — aut „perpetuo latuisset, aut certe *Brixius* fuisset imitatus tuorum „epigrammatum modestiam ac ciuilitatem; quae et ipsa tamen „optas-

dua) in Italia litteras graecas docuit; latinae quoque linguae peritus fuit, vt et Philosophus ac Poëta. *Romae* et *Venetiis* etiam graecas litteras instaurauit. Tandem *Romae* anno 1517. mortuus est, paullo ante a *Leone X.* creatus Archiepiscopus. Hic Aristophanem et Athenaeum primum graece cum scholiis, aliaque edidit. Vid. Erasmi Opp. T. III., Papadopoli historia gymnasii patauini, Iouii elogia, Bayle diction. hist. et crit., Fabricii biblioth. graeca.

2) De *Iano Lascare* vid. Spicil. XXIII. p. 15. n. 11.

3) In Languedociae vrbe *Albia*, siue *Albiga*, gall. *Alby*.

4) Nimirum *Claudiae*, Francisci I. Regis Galliae vxoris, filiae Ludouici XII. et Annae Britannicae.

„optaſſem nunquam potius eſſent edita, quam vt hic tumul„tus tragicus inter vos fuiſſet excitatus, non ſine diſpendio bo„narum litterarum, etc." Conf. eiusdem *Eraſmi* epiſtola 511. ad *Brixium*, Antuerp. 25. Iun. A. 1520. p. 557. ſequ. Epiſtola 519. ad *Budaeum*, Antuerp. 9. Aug. 1520. p. 568. ſequ. Add. *Thomae Mori* ad Eraſmum epiſtola 555. Londino A. 1520. data, omiſſo die, p. 611. ſeqq.

Eraſmus etſi *Morum* et *Brixium*, in epiſtola 519. ad Budaeum, vocat *inſignes Muſarum Myſtas*, *vtrumque amicum*, ac *Brixium coniunctiſſimum;* tamen ei adeo diſplicuerat *Brixii Antimorus*, vt in epiſtola 609. ad Hermannum Friſium, Louan. A. 1521. p. 684. ſcriberet: „Amo *Brixii* ingenium non vulgari„ter, phraſin admiror, ſed vtinam exerceret vtrumque in ar„gumento plauſibiliore! — Illud curandum *Brixio*, ita ſtilum „temperet, vt non ſolum eruditus, verum etiam vir bonus „et aequus habeatur. Conſulat amicos ſuos graues et erudi„tos, *Budaeum*, *Deloinum*, *Ruſeum* et *Ruellium*, potius, quam „iuuenilem animi impetum. etc."

De *Brixio* inſectante etiam *Ioannem Oecolampadium*, Theologum Baſileenſem, Vlrici *Zuinglii* Paſtoris Tigurini defenſorem, loquitur *Eraſmus* in epiſtola 991. ad Liuinum Ammonium Cartuſienſem, Baſil. 2. Oct. 1528. p. 1127. Conf. *Brixii* ipſius epiſtola, Lutet. VI. Id. Maii A. 1527. ad Eraſmum data, et nunc ex Autogr. edenda.

Caeterum, teſtibus ſcriptoribus, *Brixius* fuit in omni vitae cultu ciuilis et ſplendidus. Sed inclinante iam aetate invaſit eum atrae bilis morbus. In hac aegritudine ſuſpicionum terrorumque plenus, quum ex accumulato multo auro dimidiam fere partem furto ſibi ſubtractam miſer ſenſiſſet a domeſticis, quibus nec vitam quidem poſtea credidit; dum ab Aula,

 quae

quae tum apud Blaesios (gall. *Blois*) agebat, Lutetiam reuertitur, in agro Carnutensi (gall. *Chartres*) iuxta Ligerim (g. *Loire*) exspirauit.

In Erasmi Operibus Tomo III. editae leguntur GERMANI BRIXII tres ad *Erasmum* epistolae. Epistola 212. scripta Parisiis 6. Aprilis A. 1516. p. 191. seqq. Epistola 968. ex hortis nostris Gentiliacis 12. Augusti A. 1528. p. 1091. seqq. et Epistola 1114. Parisiis 6. Iulii A. 1530. p. 1294. sequ.

Idem Tomus exhibet duodecim ERASMI ad *Germanum Brixium* epistolas. Vid. Epistola 359. data Louan. A. 1518. sine die, p. 376. sequ. Epistola 511. Antuerp. 25. Iunii A. 1520. p. 556. seqq. Epist. 752. Basil. 25. Aug. A. 1525. p. 883. sequ. Epist. 785. Basil. Anno 1525. omisso die, p. 904. sequ. Epist. 872. Basil. postridie Pentecostes, siue 10. Iunii, A. 1527. p. 985. sq. Epist. 981. Basil. 6. Sept. A. 1528. p. 1113. seqq. Epist. 984. ibid. 21. Sept. 1528. p. 1121. sq. Epist. 1000. Basil. A. 1528. sine die, p. 1134. sequ. Epist. 1091. apud Friburgum 30. Ian. A. 1530. p. 1262. seqq. Epist. 1100. apud Friburgum Brisgoiae 27. Martii A. 1530. p. 1280. sequ. Epist. 1135. ibid. 5. Sept. 1530. p. 1308. seqq. et Epistola 1239. Friburgo Brisgoiae Anno 1532. omisso die, p. 1458. sequ.

Tres nunc GERMANI BRIXII ad *Erasmum* ex Autogr. in lucem prodeunt Epistolae, quarum *prima* scripta est *Lutetiae*, VI. Id. Maii, siue die 10. *Maii*, Anno 1527. (vid. Index h. a. n. 9.) Sermo est de *Brixio* ipso, et variis *rebus litterariis;* de *Erasmi* epistola ad *Regem Lusitaniae*, Brixium laudante; de aliis *rebus litterariis;* de *Oecolampadio*, qui reprehenditur; de *Lupseto;* de *Reginaldo Polo;* de *Thoma Moro*, cum quo fuerat *Brixio* controuersia; de itinere in *Angliam* forte faciendo a

Brixio,

Brixio, eodemque in gratiam redituro cum *Thoma Moro;* de *Eraſmo*, eiusque *ſcriptis* et *aduerſariis.*

Germanus Brixius Eraſmo Roterodamo.

Quum peregre agerem, allatae mihi ſunt litterae tuae, exſpectatiſſimae quidem illae ac deſideratiſſimae [1]). Deinde, quum paulo poſt ad vrbem reuertiſſem, adiit ad nos is, cui tu eas mihi reddendas commiſeras, qui ipſe librum a te acceptum mihi nomine tuo dono dedit. Quod quidem donum, per ſe gratum, hoc ipſo gratius etiam fuit, quod inter tuas vigilias, cultiſſimas quidem illas ac doctiſſimas, (eas enim iam bona ex parte excuſſimus,) et noſtris quoque lucubrationibus qualibuscunque, hoc eſt verſioni noſtrae περὶ τῆς ἱερωσύνης [2]), locum, tum ornatiſſimum, tum accommodatiſſimum, tribueris. Eas enim ſtatim ſubiecisti verſae a te Chryſoſtomi homiliae in Acta tertiae, ſub cuius finem Chryſoſtomus per occaſionem exſpatians, quae ad ſacerdotis partes ſpectant, ea ita tractat, vt videatur vel locus ille totus pendere ab iis, quae in opere a me verſo copioſiſſime tractauit, vel opus a me verſum ab eo loco homiliae tertiae bona ex parte pendere, vt nulla abs te fieri potuerit commiſſura, quae magis cohaereret. Gratiam autem eam, quam dico, ſelecti a te operi meo inter tuas vigilias loci, apud me auxit tua ad Luſitaniae Regem *) epiſtola, in qua, vt apud te ingenue, quod verum eſt, fatear, animum meum mire affecit tuum illud de me teſtimonium, in quo tu παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως. Placet enim, ad Hectoris Naeuiani exemplum, laudari a laudato

viro;

1) Periiſſe videntur illae *Eraſmi* ad *Brixium* litterae.

2) Ioannis *Chryſoſtomi* operis de Sacerdotio.

*) *Iohannem* III, qui regnauit ab a. 1521 — 1557.

viro; cui ego insuper addo, quod mihi a te contigit, et apud laudatum virum, eundemque non inferioris notae Regem. Vetus est illud: τιμώμενοι πάντες ἥδονται βροτοί. Iam vero, quod tu me ad parandam nomini nostro immortalitatem hortaris, quam quidem nulla melius via obtingere posse, quam vertendis Chrysostomi scriptis, demonstras; facis tu quidem amice ac beneuole, qui Brixii gloriae vsque adeo non inuides, vt illum etiam in istius felicitatis partem aduoces, in partae iam tibi aeternitatis consortium inuites; delata etiam illi ac concessa eorum organorum particula, per quae haud ita magno negotio eo peruadere possit. Vtinam, candidissime Erasme, posteaquam tua mihi hortatio stimulos addit, eosque non mediocres, facitque, vt alia item eiusdem generis maiora audeam, qui videam scilicet, susceptos mihi semel labores summi in huiusmodi palaestra nomothetae fauore ac plausibus non carere; vtinam, inquam, graue tibi nequaquam foret, Chrysostomi commentarios graecos, vel in epistolam ad Galatas, vel in duas ad Corinthios epistolas, quos vtrosque in manibus tuis esse significas, Frobenio isti excudendos tradere! Nam si qua mihi vtriuslibet commentarii copia fieret, sic ego certe in eorum altero vertendo lubens desudarem, vt a te in altero laborante vinci, mihi haudquaquam dedecorosum pudendumue putarem; satis esse ad nominis huius gloriam ratus, te aemulari, tua post vestigia sequi, tibi longo, sed proximus interuallo et esse, et haberi. Nam et Babylae quoque vitam [3]), quam te iam Frobenio [4]) graecis formis excudendam tradidisse scribis, vbi primum ea in manus nostras peruenerit, lati-

3) Scriptam a *Chrysostomo.*

4) Hoc ipso anno 1527. mortuo *Ioanni Frobenio*, Typographo celeberrimo Basileensi, successit filius, *Hieronymus Frobenius.*

latinam facere aggrediar; ſi quidem verum eſſe deprehendero, (id quod tamen verum eſſe non diffidimus, te praeſertim aſſeueratore,) Oecolampadium [5]) interpretem in multis dormitauiſſe, qui vtique mihi alioquin ſuſpectus ſemper fuit in iis omnibus, quae vertenda ſuſcepit, ob linguae vtriusque, dicam audacter quod ſentio, paupertatem; vt taceam, quod epiſtola tua indicat, quodque multo ante tempore, quam ea mihi lecta eſſet, me Lupſetus ſubmonuerat, pleraque eſſe a viris doctis in Oecolampadii verſionibus deprehenſa, quae ille ad improbata bonis dogmata deprauans detorſiſſet [6]). Eſt enim mihi iam Lupſetus [7]) non vulgariter ſtudiorum nomine coniunctus, cuius et animi candor et ſermonis gratia tanta apud me fuit, vt vltro illuſtrem mihi locum obtulerit in amicitia cum ſuo illo Maecenate, Reginaldo Polo [8]), cuius epiſtola tua mentionem infert, contrahenda, quem ipſum Polum [9]) tute iam huc aduenisse ſperabas, dum epiſtolam ſcriberes, quum tamen adhuc apud ſuos Anglos viuat, breui

5) *Ioannem Oecolampadium*, Theologum Baſileenſem, facientem cum *Zuinglio* Tigurino; anno 1531. mortuum, paullo poſt obitum *Zuinglii.*

6) Conf. *Eraſmi* epiſtola ad Liuinum Ammonium Cartuſienſem, Baſil. 2. Oct. 1528. ſcripta, (T. III. Opp. ep. 991.) vbi p. 1127. haec leguntur: „*Germanus Brixius* vertit Babylam, plenisque velis inuectus eſt „in *Oecolampadium*, applaudentibus „Theologis.“

7) *Thomas Lupſetus*, Anglus, a. 1531. mortuus, cuius duae ad Eraſmum epiſtolae apud nos latent; v. Index epiſtolar. ad Er. autogr. A. 1521. n. 2. A. 1525. n. 9. Editas varias exhibet Tomus III. Opp. Eraſmi, cum huius variis ad Lupſetum litteris. Conf. Spicil. XIX. p. 17. n. 38.

8) *Reginaldo Polo*, (*Pool*,) Anglo illuſtri, a. 1500. nato; poſthac ab a. 1538. Cardinali, ab Henrico VIII. Rege Angliae proſcripto, a Maria Regina reſtituto, tandem Archiepiſcopo Cantuarienſi, Londini a. 1558. mortuo. Conf. Spicil. XIX. p. 18. n. 39.

9) Tres *Eraſmi* ad *Polum* epiſtolas, annis 1525. 1526. et 1531. ſcriptas, exhibet Tomus III. Opp. Eraſmi.

breui huc aduenturus. In cuius ſane amicitiam eo cupidius inſinuari concupiſco, quum e Venetiis bibliothecam attuliſſe eum audio graecorum voluminum copioſiſſimam. Quod ad Morum [10]) ſpectat, quidnam, quaeſo, aliud tibi hic ego ſcribere poſſim, quam quod identidem ſcriptis etiam editis ſum teſtatus, me ab illius amicitia, etiamſi immeritum me grauiter offenderit, nequaquam abhorrere, te potiſſimum interprete, ac veluti patre patrato, a cuius ſane voluntate honeſte diſſentire non poſſum. Tantum enim animi inductio, et mehercule amor erga te meus, apud me valet, vt, quae tibi honeſta factu videntur, quaeque ipſe vis, ea mihi omnia et recta, et vera, videantur. Itaque in componenda mecum cum Moro amicitia ἔρξον ὅπως ἐθέλεις, καί σοι φίλον ἔπλετο θυμῷ. Nam ego ſequar non inuitus, qua ipſe praeieris, vt qui alioqui etiam vltro animum ad Mori amicitiam inclinatum hoc maxime tempore geram, in quo nimirum, quod videam, Regi noſtro Franciſco cum Britanniae Rege Henrico mire conuenire, inſulae illius per huiusmodi occaſionem inuiſendae deſiderium identidem me ſubit; qua etiam in peregrinatione, niſi ſi quis illam mihi caſus eripiat, omnino conſtitui, ad ipſummet Morum (cuius gratiam raram, atque adeo primariam, tum apud Regem [11]), tum apud Cardinalem,

10) *Thomam Morum, (Moore,)* Anglum illuſtrem ac celeberrimum, de quo conf. Spicil. XXIII. p. 10. n. 35. De *Germani Brixii* cum *Moro* controuerſia diximus ſupra. *Morus,* Londini a. 1480. natus, poſt alia varia munera, ab a. 1528. Angliae Cancellarius, vsque ad a. 1532., tandem iuſſu *Henrici VIII.* Regis Angliae ſupplicio adficiebatur, d. 7. Iulii a. 1535.

11) *Henricum VIII.*, qui paullo poſt, a. 1528., *Morum* iuſſit eſſe Summum Angliae Cancellarium, (vid. Index epiſtolar. ad Er. autogr. A. 1528. n. 14.) quo magiſtratu *Morus* ipſe vltro ſe abdicauit a. 1532. Vid. Thomae Poly epiſtola ad Eraſmum data Londino 19. Iunii a. 1532. T. III. Opp. Er. in Append. ep. 367. p. 1752.

lem [12]), esse audio,) salutandum recta diuertere, dextramque hanc cum illius dextra, musis me plane ad id inuitantibus, liberaliter coniungere. Tantum enim abest, vt Mori animum, a meo abalienatum, offensurum me arbitrer, vt etiam nihil diffidam, quin, Britanniam inuisens, eo homine, Musarum Gratiarumque cultore atque hospite, ad omnia, tanquam tum fido interprete, tum beneuolo amico, sim vsurus; nisi si forte ille ingenium suum, a multis mihi graphice depictum, ementiri atque adeo adulterare velit. Id quod, sat scio, haudquaquam facturus est, potissimum vbi ex litteris tuis intellexerit, non solum quod ego sim oblitus simultatis illius inauspicatae, fati nescio cuius iniquitate inter nos olim habitae, verum etiam quod obuias per me vlnas porrigam, extincta prorsus omni illa discordia, pedibus manibusque in concordiam amicitiamque perpetuo secum foedere, quod felix faustumque sit, ineundam, componendam, stabiliendam, descendere. Sed de hoc iam satis. Laborum tuorum, (vt, quod primo in epistola tua loco tetigisti, ad id postremo hic respondeam,) tot iam monstris debellatis exantlatorum, non est, cur te, Erasme, pigeat poeniteatue, quum per eos haud paulo plus aduersariis tuis ignominiae, quam tibi gloriae, qua tamen maior esse nulla potest, sit paratum. Neque certe ipse existimo, Mineruae, ingeniorum praesidis, in te indignatione, sed summa potius indulgentia ac benignitate, obiectum

 te

12) *Thomam Wolsaeum*, (*Wolsey*,) Cardinalem Eboracensem, obscuro loco natum, verum summae apud *Henricum VIII.* dignitatis. Fuerat hic *Wolsaeus* a. 1513. Episcopus Tornacensis in Belgio, a. 1514. Episcopus Lincolniensis in Anglia, ab a. 1515. Archiepiscopus Eboracensis, (*Yorck*,) Paullo post creatus Cardinalis et Angliae Cancellarius, nunc primus erat ac summus *Henrici VIII.* amicus, et vere Rex. Sed miser tandem, muneribus ac bonis priuatus, Eboracum remissus, tum vero in ius vocatus, in itinere a. 1530. obiit, aegritudine confectus.

te antea fuiſſe tot praeclaris illis certaminibus, quibus exitu tam felici defunctum vidimus. Intelligit enim illa, id quod iis, quorum curam ſuſcepit, re etiam probare vult, eam eſſe rerum laudatarum atque honeſtarum naturam, vt, quo magis eas premere et affligere tentas, hoc magis exſurgant atque inualeſcant, malorum conatu in contrarium erumpente. Itaque, quod antea ſemper feciſti, in id toto conatu perpetuo incumbe, vt tu, ſcilicet de litterarum ſtudiis optime meritus, tum illarum hoſtibus perpetuam ignominiae notam inuras, tum tibi perennem aeternamque gloriam dextro ſemper Apolline pares. Bene vale, et me, vt amas, ama. Lutetiae, VI. Id. Maii, MDXXVII.

Eloquentiſſimo D. Eraſmo Roterodamo.

(Sigillum integrum.)

Quae nunc ſequitur, GERMANI BRIXII ad *Eraſmum* Epiſtola, data *ex Aula Regia*, *VI. Id. Nouembr.*, i. e. d. 8. Nouembris, Anno 1530. (v. Index h. a. n. 23.) eſt prolixa et duplex. Priori enim nouam adiecit Brixius. Prior multis verbis depingit et ſummopere laudat *Cardinalem Auguſtinum Triuultium*, Lutetiae tum verſantem, in aula *Franciſci I.* Regis Galliae, excitatque *Eraſmum* ad *litteras ei mittendas*, tanto Principe, *Eraſmi ſummo Patrono*, dignas etc. In epiſtola, adiecta priori, loquitur Brixius de *miſſis ſibi* ab *Eraſmo* aliquot *Chryſoſtomi homiliis manuſcriptis graecis* in Epiſtolam ad Romanos, a ſe *latine vertendis*, et poſtea ab *Eraſmo* per *Frobenium* edendis; narrat, quid *Rex Galliae* dixerit ac promiſerit ſibi, (Brixio,) rem totam indicanti *Regi;* addit multa alia, ad illam *verſionem* pertinentia.

Ger-

Germanus Brixius Erasmo Roterodamo.

Hi mihi dies, vt si qui vnquam alii, multo honestissimi ac pulcherrimi visi fuere, et quidem non magis mea, quam tua etiam, Erasme, causa. Nam mihi primum renouarunt veterem amplissimi cuiusdam, viri dicam, an principis? certe principis, et magni principis [1]), amicitiam, illam quidem iam inde ab vtriusque nostrûm adulescentia Romae initam, sed annorum plus minus viginti spatio, per vtriusque ab altero absentiam, sopitam magis, quam extinctam [2]). Deinde iidem dies, dum nobis, hoc est, clarissimo illi principi ac mihi, suauissimos de excellentibus saeculo nostro viris sermones pariunt, tam celebrem tamque honorificam tui mentionem inter nos intulere, vt iudicare vix habeam, vtri ex ambobus nobis iucundior, dulcior, suauior, ea extiterit. Talem enim idem ille erga te voluntatem, tam propensum tui studium, prae se fert, vt in te non solum amando, sed etiam laudando, extollendo, admirando, ne mihi quidem ipsi (nihil me amplius dicere posse puto) concedat. Qua ex re apud me ille obtinuit, vt, quum ipsi in praesentia, non tuo magis, quam meo proprio nomine, magnopere me debere profiterer, (quidni autem id facerem? ad quem videlicet tuae in vtramque partem apud quosuis existimationis bona pars, pro mutua, et ea magna inter nos necessitudine, quodammodo redundat!) tum vero mecum ipse statuerem, prima quaque nostra ad te epistola te de illius tam prolixo erga te animo non celare. Tua enim referre putaui, id tu vt rescisceres, et simul per

 otium

1) *Augustini Triuultii*, Eccl. Rom. Cardinalis, (vt ex epistola ipsa patet,) hoc anno Legati *Clementis VII.* Pontificis Romani ad *Franciscum I.* Galliae Regem.

2) Igitur Germanus *Brixius* circa annum 1510. *Romae* versatus erat.

otium iſtud ad illum litteras dares, quae quidem indices, ac perpetuae quodammodo teſtes exiſterent mutuae item tuae erga illum voluntatis atque amoris. Id quod te etiam vltro facturum (qui tui animi candor eſſe ſolet) non neſciebam, ſi modo tibi aliunde, quam ex meis ad te litteris, rem ipſam vtcunque olfacere contigiſſet. Quo magis illuſtres atque expreſſae tuae ad illum litterae eſſe debent, quum tibi per Brixium, hoc eſt, per hominem tibi amicitia veteri et ea perquam fideli coniunctiſſimum, ob idque nihil adfingentem, res eadem innotuerit. Peccatum autem, atque adeo flagitium non leue abs te eſſe admiſſum crederem, niſi eum redamares, qui tam tui amans, tam de te recte ſentiens, tam honorifice loquens, tua omnia, ſic vt qui maxime, probat, commendat, admiratur. Sed ne te pluribus ſuſpendam, is eſt Auguſtinus Triuultius, Romanae eccleſiae Cardinalis [3]), vir, vt ſumma generis nobilitate (id enim familiae ipſius vel nudum nomen ſatis arguit) inſignis, ita ſumma, tum humanitate, tum doctrina, tum ſapientia, illuſtris. Hunc

3) Fuit hic *Auguſtinus Triuultius (Trivulzio)* Antonii Triuultii Cardinalis, anno 1508. mortui, fratris (Aloyſii) filius, genus ducens ex illuſtri apud Mediolanenſes familia; ex Abbate Froimontenſi, Camerarius *Iulii II.* Pontificis Romani; a *Leone X.* Protonotarius, et anno 1517. Cardinalis Diaconus creatus; poſthac Epiſcopus Baiocenſis (*Bayeux*) et Tolonienſis, (*Toulon,*) in Gallia, tunc Epiſcopus Bobienſis (*Bobbio*) et Novarienſis, (*Novara,*) in Italia, tandem Archiepiſcopus Regienſis; (*Reggio;*) Legatus *Clementis VII.* in Campania Romana; *Roma* anno 1527. a Caeſareis capta, cum duobus aliis Cardinalibus Obſes, *Neapoli* in caſtello nouo per octodecim menſes captiuus; poſtea ad *Franciſcum I.* Galliae Regem miſſus, tum a *Clemente VII.*, tum a *Paulo III.*, Triuultii praecipue ope anno 1534. electo; tandem ſub finem Pontificatus Pauli III. *Romae* menſe Martio A. 1548. mortuus.

Hunc ego Romae olim Iulii pontificis [4]) tempore peradulescens peradulescentem (aequales sumus) cognoui, in eiusque amicitiam ac consuetudinem per studiorum elegantium causam (quae ille iam tum auidissime sectabatur) insinuare adlaboraui, etsi non erat adlaborandum; erat enim etiam tum in illo humanitas, qualis nunc, non insititia et inducta, sed ita genuina ac natiua, vt eam ille omnibus, de studiosis potissimum loquor, obuiam et expositam prae se ferret. Nam doctrinam ac sapientiam reliquasque virtutes, quae in eo permultae florescunt, sic ille postea excoluit, exornauit, adauxit, vt a Leone pontifice [5]) in amplissimum Cardinalium collegium adlectus [6]), sacrosancti illius collegii veluti choragus, collegas suos omnes in sui amorem, admirationem, venerationem in primis attraxerit. Non ignoro, vt de pictore ac scalptore non nisi artificem solum recte iudicare, ita doctum ac sapientem non nisi a docto ac sapiente vere perspici posse; sed tamen, quantum mihi doctrinae ac iudicii huius mediocritate assequi datum est, tot certe ac tantae in Triuultio Cardinali [7]) virtutes apparent, elucent, splendescunt, et ita splendescunt, vt illis, vel qui mediocriter sapiat, vehementissime afficiatur. Me quidem ipsum, horum aliquot dierum cum illo consuetudine, vsque adeo inescarunt, affecerunt, ac veluti fascinarunt, vt iam non alius illo vno magis me teneat, habeat, possideat. Et hercule magna est in illo comitas, rara in illius sermone vrbanitas, rara etiam in

ore

4) *Iulii II.* Pontificis Romani ab a. 1503—1513.

5) *Leone X.* Pont. Rom. ab. a. 1513—1521.

6) Anno 1517.

7) Conf. Oldoini Athenaeum Romanum, et Palatii fasti Cardinalium.

ore ipſo vultuque iucunditas; et ea quidem omnia (quod ego vt difficile, ita permagnum eſſe puto,) pari grauitate coniuncta. Adde huc vitam inculpatam, mores vt ſuauiſſimos ac candidiſſimos, ita integerrimos ac laudatiſſimos, et in omni commendationis genere ad exemplar antiquitatis expreſſos. Iam vero quid dicam de ingenio excelſo, ſublimi, dulci, vario, acuto, facili, erudito? Quid de iudicio acri, polito, terſo, limatulo? ad quod quidem, vt veterum, ita recentiorum auctorum ſcripta, veluti ad amuſſim rectiſſimam, Ariſtarchi in morem expendit. Quo maiore in honore ac pretio habenda tibi eſt tanta principis tot ac tantis virtutibus illuſtris erga te beneuolentia; praeſertim quum ea non aliunde nata ſit, quam ab nudo iſtius ingenii amore ac doctrinae admiratione. Falli equidem poſſim, ſed conſentaneum tamen eſſe puto, multis illum virtutibus abundare, qui alienarum tanto amore ducitur. Et certe praeter has item, quas modo connumeraui, quae teſtatae quidem ſunt et illuſtres, inſunt et aliae in illo virtutes permultae, quas vix verbis aſſequi poſſim. Vt etiam omittamus tanta illa virtutis quae geſtat inſignia, quae ipſa, vt multi etiam ſine virtute ſint aſſecuti, tamen tanti ſemper ab aetatis noſtrae hominibus aeſtimata ſunt, vt eum ſummis quibusque regibus dignitate parem efficerent, in quem collata illa fuiſſent. Hic tu fortaſſe me putes indulſiſſe amori erga Triuultium meo, ſupraque illius laudes, quam veritas patiatur, extuliſſe. At ego fide media tibi ſpondeo, longe etiam maiores illas eſſe, quam a me hic praedicatae ſint. Illum quidem certe obſeruo et amo; quis enim Cardinalem virum non amet, tot tantisque virtutibus praeſtantem? Sed hoc ipſum amantis eſt, ſuis illum duntaxat laudibus ornare, non alienis onerare. Itaque hortor te, Eraſme

ſua-

ſuauiſſime, et, ſi pateris, etiam oro atque obteſtor, vt tantam Cardinalis, non cuiuslibet, ſed Triuultii, in te voluntatem, obuiis, quod aiunt, vlnis exceptam, epiſtola quapiam, et te et illo digniſſima, primo quoque tempore proſequaris [8]). Quam quum ad me miſeris, illi ego in manum tradam; eſt enim ille adhuc nobiscum ad menſes aliquot futurus. Crede mihi, erit tibi tanti Cardinalis non amicitia ſolum dulcis ac iucunda, ſed patrocinium quoque tum ampliſſimum, tum honorificentiſſimum. Tanta enim ille (hoc te neſcire nolui) in ſuo collegio gratia atque auctoritate valet [9]), vt illi ex collegis paucos conferre, (nihil volo elatius de modeſtiſſimo viro dicere,) neminem anteponere poſſis. Tuas auidiſſime exſpecto. Ex Aula Regia [10]), VI. Id. Nouembr. MDXXX.

Scriptis his litteris et iam obſignatis, accepi tres ſimul a te epiſtolas [11]), vnam plusquam laconicam, alteram ſatis iuſtam, tertiam plusquam aſiaticam, niſi quod ſtilus ipſe atticiſmum magis redolet, omnes datas Friburgi, per eosdem fere dies, vnà cum neſcio quot homiliis Chryſoſtomi graecis in epiſtolam ad Romanos manu ſcriptis, a nemine adhuc verſis, ad me hoc nomine a te miſſis, vt per me latine loquentes ad te redeant, mox-

8) Scripſit *Eraſmus* ad Cardinalem *Auguſtinum Triuultium*, prouocans ad has, quae nunc tandem ex Autogr. in lucem prodeunt, *Germani Brixii* litteras. *Eraſmi* vero epiſtola edita exſtat Tomo III. Operum p. 1350. ſequ. ep. 1156. data apud Friburgum Briſgoiae, 30. Ianuarii, Anno 1531. Reſpondit *Eraſmo* Cardinalis litteris forte deperditis, ſane nuſquam editis. Hinc alia *Eraſmi* ad Cardinalem epiſtola legitur ibidem p. 1398. ſequ. ep. 1183. data apud Friburgum Briſgoiae, 12. Aprilis, Anno 1531., in qua ille iterum *Brixii* hanc noſtram epiſtolam laudat, et Cardinali reſpondet.

9) Fuit *Triuultius* in Cardinalium collegio Protector Regni Galliae.

10) *Franciſci I.* Regis Galliae.

11) Periiſſe videntur.

moxque per Frobenium iſtum [12]) in lucem ad ſtudioſorum vtilitatem prodeant. Nam et mihi tempus ipſum praeſcribis ac praefinis, intra quod vis a me hoc penſum abſolui. Sed de tota hac re plura aliàs per otium maius; verſor enim hic in aulico ſtrepitu, et eo ruſticano, non vrbano, vt intelligas, nobis minus libertatis, minus tranquillitatis ſuppetere. Interim vt certior a me fias, (nam hoc ipſum in primis exigis,) quali ſim ad eam prouinciam animo, equidem non ſolum animatus, ſed et paratus quoque ſum ad tibi hac in parte obſequendum, ſi quidem vires meae huic muneri obeundo pares erunt, vt fore confido; niſi quid altius ac magis abſtruſum in reliquis homiliis, quam in duabus primis, deliteſcat, quas ipſas ſtatim ἀπνευςὶ totas perlegi, vna cum ipſo auctoris prooemio, quod iam a me verſum vna cum primis quibusque noſtris ad te ibit, et quidem vt tu tum hanc telam mihi iam exorſam intelligas, tum ad prooemii verſi guſtum et reliqua exſpectes. Nam ego ſic me totum iam pridem ad tuam, Eraſme amiciſſime, conformaui voluntatem, ſic me totum ad tuos etiam nutus omnes obſeruandos compoſui, vt nihil iam ſit, praeſertim in hoc ipſo obſequii genere, quod non ſtatim atque mandaueris, omni conatu, manibus pedibusque, curandum atque exequendum ſuſcepturus ſim. Et certe hac ego in re non fallam exſpectationem tuam. Nam et alioqui mihi ab ea verſione diſcedere iam integrum haudquaquam fuerit, niſi cum nominis noſtri iactura, et quidem luculenta. Rem enim totam Regi ipſi [13]) indicaui, te homilias easdem ad me graecas miſiſſe, vt latine per me loquerentur; ad quem

12) *Hieronymum Frobenium*, Ioannis Frobenii a. 1527. mortui filium, Typographum Baſileenſem.

13) Regi Galliae, *Franciſco I.*

quem ille me laborem, pro ſuo in Chryſoſtomum ſtudio, non vulgari quidem illo, ſed eximio, etiam atque etiam hortatus eſt, et ita hortatus eſt, vt adderet, ſeſe laborem noſtrum digna aliqua mercede compenſaturum. Itaque labor idem, non tuo tantum hortatu, ſed regio quoque auctoramento, a nobis ſuſceptus, audebit haud ita multo poſt tempore in hominum manus ventitare; quamquam, quod ad me attinet, haec me vna merces mouet: gloria, non illa quidem mea, ſed tum Pauli, tum Chryſoſtomi, cui vtrique propenſiſſime inſeruio, et praeterea litterarum diuinarum honos ac profectus. Proinde hunc nos laborem eo etiam ſtudioſius atque animoſius ſuſcepturi ſumus, partim quod vna tecum ipſi ſentientes ex caeterorum Chryſoſtomi ſcriptorum vſu quotidiano aperte deprehendimus, illas ipſas homilias γνησίους eſſe, non νόθας: partim quod eaedem a nemine antea verſae ad Latinos nondum peruenere. Ad meum autem honorem pertinere, amici volunt, apud eos praeſertim, quibus, naturae vitio quodam peculiari, alienae exiſtimationis candor inuiſus ingratusque eſſe ſolet, vt verſio aliqua a nobis exeat, quae tota noſtra ſit, ac non etiam cum aliis communis, et quidem vt illis quandoque probatum ſit, poſſe etiam nos verſari in ea arena, quae nullius pedibus ſit calcata; quamquam in eam ego ſum adductus opinionem, vt exiſtimem, haud multo minus de ſtudiis mereri, qui librum ab altero male verſum reſtituit, quam qui latinitate nondum donatum vertere aggreditur. Hic enim nudus tantum auctoris ſenſus ad te peruenit, quum illic, qui graeca cum latinis conferre cupiunt, iidem ſi ad doctrinae graecae ἐξοχὴν nondum peruenere, (quotusquiſque autem peruenit?) duplicem fructum excerpant. Nam et ipſum auctoris intellectum capiunt, et ſimul admonentur, prioris interpretis

 lapſus

lapſus declinare, ſi quando forte ipſis in ſimili labore interpretandi verſari contigerit. Tibi porro vſu identidem venire poſſit, tam anceps eſt nonnunquam verborum graecorum intellectus, vt, niſi diligentiſſime animaduertas, niſi ſummam cautelam adhibeas, pari et doctrina et ingenio coniunctam, dictionum ſimilitudo graecarum in illa ipſa te errata praecipitem agat, in quae et alius ante te ridicule impegerit. Delectat autem ſimul et iuuat, quum per interpretem poſteriorem ſic cornicum oculos, quod aiunt, confixos videas, vt errare amplius ac labi iisdem aut ſimilibus in vocibus non poſſis. Vulgo dicunt, hominem praemonitum duobus aequipollere. Adde huc, quod hac quidem ratione, niſi fallor, tardiores ad vertendum accedunt impoſtores ii, quos nullo pudore ac delectu, magna ſtudiorum pernicie, aduolare videmus ad graecorum auctorum illorum, vel illorum claritatem (vt ne quid grauius dicam) infantiae atque ignorantiae ſuae tenebris obſcurandam; dum per conuictae impudentiae alienae exemplum ſubuerentur, ne qua talis olim verſionibus ſuis ignominiae atque adeo inſcitiae nota inuratur. Sed de hoc plura aliàs. Iam enim ad eam prolixae epiſtolae tuae partem feſtino, in qua tu mihi artificioſe nimis ipſarum homiliarum laborem leuiorem facis. Quid? Germani Brixii, inquis, nomen iam illuſtre eſt, et librum emtori per ſe commendat. Magnum lenocinium eſt auctor gratioſus. Itane vero tibi gloriolae appetens viſus ſum, vt me hoc artificio incitare, me hoc veluti lenocinio eo pertrahere volueris, quo deſtinaueras? Certe, vt non auerſor qualemcunque tuam exhortationem, praeſertim ad id genus laboris ſuſcipiendum, ex quo ſtudiis ipſis opem afferre aliquam poſſim; ita nec agnoſco, nec amplector, quas tu mihi laudes ταῖν αμφοῖν congeris. Quid

quod

quod et me tibi tanquam ſocium eſſe vis? dum homiliarum vertendarum partem mihi defers, partem tibi deſumpturum ſcribis, quo leuior ſit ſudor a nobis ſuſcipiendus. Me ne tibi ſocium, Eraſme, qui tantum vtraque lingua vales, vt ea magis videare excellere, qua te vel ſcribere aliquid vel loqui contigerit? Ingenue fatebor, nec me hoc fatentem pudebit, certe quum tua lego, ſentio ex comparatione, quam malè ſcribam: quamquam carum eſt, quod a te ipſe tanti fiam, vt me in iſtius gloriae conſortium, in laboris tam honeſti ſocietatem, vocare non dedigneris; quam ſane ſocietatem a te mihi humaniſſime delatam, (qui ingenii tui candor eſſe ſolet,) hac in parte mihi admittendam ea, quam dixi, ratione, nunquam mihi ipſe perſuadebo. Vereor enim (quod memini me tibi aliàs ſcribere) roſae et anemonae coniunctionem ac collationem. Ita lubens ipſum homiliarum opus vniuerſum mihi vertendum deſumpſerim. Hoc autem per te mihi vt liceat, malim, quam in huius vel laboris, vel gloriae, ſocietatem, tanquam in equum troianum, tecum includi. Quam ſolidam gloriam ſi mihi non inuideris, optarim ipſum, quod praeſcripſiſti, tempus prorogari. Me quidem certe fateor, intra praeſcripti eiusdem terminos, operis confectionem qualemcunque tibi praeſtare poſſe. Sed tamen, qui reliquis Chryſoſtomi ſcriptis, quae nos antea te auctore et hortatore vertimus, diligentiam (quam tu nobis tamen, ſi muſis placet, lentitudinis nomine coniunctam obiicis,) ſeruare voluimus; ita enim ſolemus, qui doctrinae atque eloquentiae parum fidimus. Si quid forte indiligentia homiliis iisdem vertendis peccatum a nobis fuerit, crede mihi, ſuperioris a nobis diligentiae ratio exigetur, non excuſabit obſequium. Mihi porro et alioqui, quoties aliquid ſum editurus, ἡ κύων

ὑπὸ

ὑπὸ σπουδῆς πολλῆς τυφλὰ τίκτουσα memoriae meae assidue obversari solet. Itaque hac in vna temporis praescriptione velim patiaris me tibi eodem animo repugnare, quo in omnibus obsequi soleo. Malo enim famae propriae, quam Frobenii tui [14]) commodis, inseruire, quam ipsam solidiorem efficit meditationum nostrarum sera, quam praecipitata, editio. Notum tibi Homericum illud: ὄψιμον, ὀψιτέλεστον, ὅου κλέος οὐκ ἀπολεῖται. Iterum vale.

D. Erasmo Roterodamo, Vtriusque eloquentiae aetate nostra facile principi.

Quod superest, indicimus Vobis, Ciues Optimi, Sacra Pentecostalia, proximo die XII. Mensis Maii in Aede Academica pie ac religiose celebranda. Orationem anniuersariam hora XII. inter Sacra eucharistica habebit Nobilissimus CAROLVS FRIDERICVS GROSSMANNVS, Leitersdorfio - Silesius, diligentia morumque probitate maxime se commendans omnibus, dicturus de *eximia Religionis Christianae dignitate.* Ad quam Orationem audiendam vt frequentes confluatis, SERENISSIME DVX HOLSATIAE, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PATRES ac PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI, omni, qua decet, obseruantia et humanitate rogamus.

P. P. Lipsiae, Domin. Exaudi, A. R. S. cIↃIↃccxcIx.

14) *Hieronymi Frobenii,* Typographi Basileensis. Conf. adnot. 12.

LIPSIAE,

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.